quam cum ingenti laetitia dum circumferrent, multi deridebant et dubitabant, quidam autem miles in media platea ignem XIII pedum fecit et accepta lancea per ignem eam portavit nihil laesus, ex quo exercitus Domini valde roboratus fuit. Exorta etiam fuerat dissensio in civitate propter tribulationes, et multi principes occulte cogitabant et tractabant, quomodo possent saltem salva vita evadere; sed post lanceae sacrae inventionem novis juramentis se simul confoederavere et jurabant per Dominum, ab invicem non recedere, nisi urbem sanctam pristinae restituerint libertati. Habito ergo consilio prudentum et potentium diem statuerunt, quo congredi vellent et cum inimicis dimicare. Die ergo XXV. suae obsidionis nocte praecedente non erat requies, sed omnes se parabant ad bellandum mane et accincti armis in ecclesiis Missas audiebant in crepusculo et confitebantur peccata sua et communicabantur sumentes corpus Domini. Ex qua communione tanta populo infusa est gratia, ut qui heri et nudius tertius quasi segnes et inutiles vix [pedem supra] limen attollere poterant, nunc in publicum prodeuntes sibi invicem palmam in acie promittebant. Episcopi vero et alii sacerdotes sacris induti vestibus populum ad proelium benedicebant. Ordinatis autem aciebus et portis reseratis, cum iam populus exiret loco, ros dulcissimus descendit et exercitum nostrum perfudit, quo tam homines quam bestiae nostrorum confortati sunt. Gradatim ergo nostri contra hostes processerunt cum lancea Domini et Deo auxiliante post gravissimam congressionem et pugnam confractis cornibus adversariorum dissolutae sunt acies infidelium et cunctae legiones eorum in fugam versae sunt, quas usque ad solis occasum persecuti sunt caedentes et interficientes. Consummato ergo proelio nostri ad castra hostium redierunt, ubi tantum rerum necessariarium repererunt opulentiam, tantas orientalium (272 A) divitiarum copias, ut iam auri, argenti, gemmarum et pretiosarum vestium neque numerus esset nec mensura; etiam armentorum et victualium tanta reperta est abundantia, ut iam non scirent, quod eligerent etc. illi, qui prius summa laboraverant inopia; potiti autem sunt hac victoria anno Domini 1098.

Ende

Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-3;